



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICALOKOJANAE

(IDAHINAE) * DETRACTA A TERRITORIO DIOECESIS LOKOJANAE PARTE

QUAE SITA EST AD ORIENTEM FLUMINIS NIGER,

NOVA PRAEFECTURA APOSTOLICA CONDITUR,

CUI NOMEN DATUR «IDAHINAE». A Iesu Christo, Dei Filio hominumque Redemptore, exempla sumentes, qui e caelorum plaga terras has petiit imas ut in tepentibus hominum pectoribus ignem accenderet pietatis atque caritatis (cf. *Lc.* 12, 49), et Nos, qui universae christianorum familiae praepositi sumus, Dei sane consilio et voluntate, nihil aliud laboribus, sollertia, prospicientia Nostra spectamus, quam ut singulis Ecclesiis toto terrarum orbe diffusis, eam rerum condicionem faciamus, qua ille sacer ignis, quo fides alitur, et accendatur, et in lucidam flammam succrescat. Quam ob rem, cum Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, re bene considerata, sententiaque audita venerabilium Fratrum Aloisii Bellotti, Archiepiscopi titulo Voncarianensis atque in Africa Media Occidentali Apostolici Delegati, atque Augusti Dilisle, Episcopi Lokoiani, Nobis proposuerit ut, diviso territorio dioecesis Lokojanae, nova quaedam praefectura apostolica conderetur, Nos haec statuimus atque iubemus. Ab ea dioecesi territorium detrahimus, quod ad orientem fluminis Niger populari sermone cognominati situm est, quodque gens Igala incolit, eoque novam praefecturam constituimus, *Idahinam* ab urbe principe eius terrae appellandam, atque curis Congregationis Sancti Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae concredendam. Cuius sodales paterne hortamur ut finibus christianae religionis proferendis nihil, ut suus est mos, omittant. Ceterum haec quae per has Litteras Nostras mandavimus, venerabilis Frater Aloisius Bellotti, cuius fecimus modo mentionem, ad exitum adduci studebit, vel quem ipse delegaverit, factis nempe iuribus atque potestatibus necessariis. Re autem acta, curabit idem ut documenta exarentur, eorumque exempla sincere scripta ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto et*

vicesimo mensis septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri sexto.

ALOISIUS Card. TRAGLIA

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. R. E. Cancellarius

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Iosephus Massimi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 3, pp. 154-155 © Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana